



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiæ**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiæ, 1688**

De juribus stolæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)



In urbibus tamen, & oppidis & quò filiales pagi non conveniunt, tempus consuetum, similiter pro vesperis, catechesi, aut Salve Regina, observabitur.

## DE JURIBUS STOLÆ.

**I**N Concilio Provinciali Treviris sub Archi-Episcopo Joanne de Isenburg prædecesore nostro bonæ mem. anno 1549. celebrato, determinata quidem (extra Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta liberaliter administranda) fuerunt jura stolæ: interim tamen in his five ex ordinatione juxta ruralium decanatum diversas situationes, five ex parochianorum conventionem diversâ, five etiam ex introducta consuetudine difformitatem videmus. Idcirco cujuscunque loci consuetudinem quietam & pacificam observari, nec à Parochis innovari præcipimus, donec à Nobis aut Successoribus nostris aliud desuper determinare consultum & placitum fuerit. Improbamus interim, inhibemus, & cassamus, si absque nostra speciali licentia alicubi à quocunque, etiam tempore Synodi aut visitationis in puncto jurium stolæ quidquam innovetur. Pastores simul commonendo ut circa parochianos, quos quandoque inopiâ premi noverunt benignæ commiserationis, aut in toto, aut pro parte remittendo nullatenus obliviscantur.

## DE MINISTRIS ECCLESIAE.

### §. I. De Decani Ruralis Officio.

**P**Ræcipuum Decani officium est, parochorum eorundemque Vicariorum, ac ovium sibi, & illis commissarum vitæ, & moribus, conversatione, & doctrinâ suâ superintendere, aliisque invigilare; limites sui Decanatus, templa, cœmeteria, domus parochiales, vineas, agros, an bene sint culti, præsertim etiam scholas perlustrare, de numero juventutis scholasticæ, & quæ emaneat à Ludi-Magistris accuratum catalogum exigendo, se informare, de reliquorum subditorum vita inquirere, incorrigibiles, scandalosos, concubinarios, aliosque juxta constit. Prædecessoris nostri Archi-Episcopi Lotharii piiss. mem. Anno 1622. superioribus denuntiare.

Inventarium sacræ suppellectilis de singulis Ecclesiis & jurium, sicut & capellarum, altariumque copiam habeat. Computationes fabrica-